



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 7. S. Alexandri Constantinopolitani obitus. Paulus Episcopus, & deinde  
Eusebius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

§. VII.

Sæculum IV.  
A. C. 340.

*S. Alexandri Constantinopolitani obitus. Paulus Episcopus. Et deinde Eusebius.*

Circa illud tempus humanis excessit Socr. 2. c. 6.  
 S. Alexander Constantinopolitanus, Soz. III. c. 3.  
 annos natus nonaginta octo, quorum vi- v. Pagi 340.  
 ginti tres in Episcopatu transegerat. Fa- n. 9.  
 to proximum Clericis suis interroganti-  
 bus, cui, ipso defuncto, Ecclesiæ Regimen  
 esset committendum? *Si virum quæri-*  
*tis, inquit: optimi exempli, & instru-*  
*dis Fidelibus parem, habetis Paulum, si*  
*vero virum vultis, externis negotiis, &*  
*Principum commercio idoneum, & præ-*  
*ferentem pietatis speciem, Macedonius*  
*aptior est.* Erat Paulus Thessalonicae na-  
 tus, adhuc juvenis, sed cujus prudentia  
 annos antevererat, jam semel Const- Athan. ad  
 antino Magno jubente, & urgentibus Aria solit. p. 813.  
 nis exilium passus. Macedonius senex  
 erat, & a multis annis Diaconus. Quam-  
 diu S. Alexander vixit, potiores fuere  
 Constantinopoli Catholicorum partes,  
 ipso mortuo creverunt Arianorum vires,  
 ita ut Macedonium in Sedem Const-  
 antinopolitanam se posse intrudere crede-  
 rent, unde nonnulli tumultus exorti,  
 quippe Catholicis Paulus placebat, &  
 tunc quidem prævaluerunt. Itaque  
 Pau-

Sæculum IV. Paulus ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus in Basilica pacis, post hæc in S. Sophia juncta. Macedonius quidem in initiis accusationem contra Electum intentabat, sed a proposito diversus, unum se Paulo, & Presbyter deinde creatus sub eo ministravit. Pauli Electio absente Constantio Imperatore facta, ubi Constantinopolim rediit, superbi Principis animum graviter offendit; indignum Episcopatu edixit, tum, coacta inimicorum ejus factione, effecit, ut deponeretur, & Eusebius Nicomediensis in ejus locum subrogaretur, qui hoc modo, repugnantibus licet Ecclesiæ canonibus, secunda vice translatus est.

## §. VIII.

*Concilium Alexandrinum pro S. Athanasio.*

*Athan. 2. Apol. p. 720. Id. Afric. p. 920.* Interim Alexandria Concilium centum ferme Episcoporum Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, & Pentapolis collectum fuerat, qui omnes deinde simul ad Episcopos Catholicos totius mundi Epistolam Synodalem dederunt, in cujus ingressu queruntur; Eusebianos S. Athanasium persequendi finem non facere, eorum invidia in exilium pulsum, quem etiam, si mala processissent consilia, hac aura frui passi non essent; post ipsius reditum eos